



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Error eorum notabus qui Orientales Ecclesias ab Antiocheno Patriarchatu non distinguunt. Cui Oriens specialiter dictus tribuitur, è Concilio secundo, & Ephesino.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

erat Capua, incipiebat à Sinuella ad Salarem Lucaniae fluvium. His autem finibus eae regiones ferè intercipiuntur, quibus provincia Romana constat in Notitia veteri Vaticana; cujus fides ex his Athanasij & Concilij Sardicenis locis egregiè illustratur.

CAPVT IV. Synopsis.

I. Ut satisfiat objectioni, docetur Romanum Pontificem esse Patriarcham Occidentis, deinde conferatur cum Alexandrino in ordinationibus. Ecclesiarum divisio in Orientales & Occidentales probatur plurimis testimoniis veterum.

II. Error eorum notatus qui Orientales Ecclesias ab Antiocheno Patriarchatu non distinguunt. Cui Oriens specialiter dictus tribuitur, è Concilio secundo, & Ephesino.

III. Fines Ecclesiarum Orientalium & Occidentalium, iidem qui olim Imperij. Thracia Orienti accensa. Solidum Illyricum Occidenti.

IV. Antiqua divisio Imperij sub Diocletiano, Constantino, & Valentiniano. In confiniis Illyrici & Thraciae, Ecclesiarum & Imperij limes; scilicet in Succorum angustiis, ex Ammiano, & Socrate, & ex Concilio Aquilejensi: ubi dictio Succorum restituitur. Constantinopolis vinculum Orientis & Occidentis, apud Nazianzenum.

V. Tomus Occidentalium in Concilio CP. explicatus. Asserta vetus lectio vsq; Duxit.

SVPEREST ut jugulum causae petamus, & ut difficultati propositae satisfiat, duorum capitum probationi, quibus tota disputatio conficitur, nos accingamus. Quorum primum in eo versabitur, ut doceat Patriarchatum Occidentis à veteribus tributum fuisse Episcopo Romano: Alterum verò, quod fortasse à nullo tentatum fuit, componet Alexandrinum Episcopum cum Romano, in potissimo illo jure Patriarchico quod ordinationes Episcoporum respicit.

Quod attinet ad primam illam partem, nullo negotio veritas ejus instruetur, si testimoniis veterum rectè expensis ostendamus totius Ecclesiae corpus statim à Concilio Niceno in Orientales & Occidentales Ecclesias fuisse distributum, & Occidentalibus Ecclesiis nullum alium praefectum fuisse praeter Romanum Pontificem. Eminent illa hereditatis Christi in duas partes divisio temporibus Constantij Imperatoris; ita tamen ut altius, id est, à veteri consuetudine Ecclesiae, hujus divisionis origo repetatur ab Episcopis Orientalibus Synodi Sardicenis, quorum sunt haec verba:

Hanc novitatem moliebantur inducere, quam horret vetus consuetudo Ecclesiae, ut in Concilio

Orientales Episcopi quod forte statuisent, ab Episcopis Occidentalibus refricaretur; similiter quidquid Occidentalium partium Episcopi, ab Orientalibus solveretur. In eam sententiam Constantius Princeps rescripsit ad Concilium Ariminense, quod Episcopis è toto Occidente accitis constabat; Non enim de Orientalibus Episcopis in Concilio vestro patitur ratio aliquid definiri. Proinde super his tantum quae ad vos pertinere cognoscit gravitas vestra, tractare debetis. Non inquiri an justa sit Orientalium expositulatio, aut quod Constantius rescripto vetuit Occidentali Concilio, scilicet ne de rebus Orientalibus pronuntiaret; (qua de re dissertationem satis copiosam, si res usui futura sit, in publicum fortasse emitteremus) sed id tantum pertendo, eam fuisse illis, imò & superioribus temporibus, Ecclesiae disciplinam, ut Occidentales Ecclesiae in unum veluti corpus compactae, ab Orientalibus discernerentur. Et ne quis excipiat me testimoniis schismaticorum uti, laudabo ipsum Ambrosium & Aquileiense Concilium ex Episcopis Occidentalibus constat, qui Aquileiam convenerant Imperatorum jussu. Querebatur Palladius Episcopus, Arrianae haereseos reus, se nisi generali & pleno Concilio respondere non posse, nempe absentibus sacerdotibus Orientis, ad quos Praefectus Italiae literas dederat, ut si vellent convenire, in potestate haberent. Excipit Ambrosius: Quia scierunt consuetudinem hujusmodi ut in Oriente Orientale esset Concilium, intra Occidentem Occidentalium, ideo putaverunt non esse veniendum. In ipsis etiam veterum Romanorum Pontificum Liberij, Damasi, Siricij, Innocentij, & Celestini epistolis, Occidentis Episcopi ab Episcopis Orientis sunt discreti. Haec divisio Gregorio Nazianzeno, ob simultates quae tunc temporis apud Episcopos vigeabant, adeo inauspicata visa est, ut Orientem & Occidentem, quemadmodum finibus & Imperiorum limitibus, ita etiam animis distractum iri pertimesceret. Invaluit tamen quotidiano Ecclesiarum usu illa discretio; ita ut Philippus Celestini Pontificis Legatus in Concilio Ephesino professus fuerit eam synodum constatam esse ex Episcopis Ecclesiae Orientalis & Occidentalis. Nihilque frequentius apud antiquos ecclesiasticos scriptores hoc Ecclesiarum discrimine inter legendum occurrit.

II. Vnum tamen est quod antiquitatis ecclesiasticae amantem hac in parte monitum velim; ne inconsultò in eum errorem incidat, in quem viri docti impegerunt, cum variis Orientis significationibus

Concil. Aquileiense sub Ambrosio.

Celestinus in ep. ad Nestor. Pelagianos reus unita sententia Orientis Occidentisque percipit. Liberius ep. ad Episcopos Orientis ad sanam firmiterque manentem reversis cum Orthodoxis Occidentis Episcopis concordare. Damascus in ep. Syn. apud Theod. l. 2. c. 22. De hac ipsa fide cum Episcopis Orientis, cum Occidentis, pontificum una gloriari conficit. Siricius in eo ad Him. c. 1. Quod etiam totum Orientis Occidentisque custodit. Innoc. in Decr. c. 51. Nos autem omnesque per Orientales & Occidentales Ecclesias. Greg. in ep. ad Rom. c. 10. Quod etiam totum Orientis Occidentisque custodit. Innoc. in Decr. c. 51. Nos autem omnesque per Orientales & Occidentales Ecclesias.

Epistola Synodica Concilij Sardic. Orient. in Fragmentis II. lxxij.

non exactè perpensis, quæ de Orientis Ecclesijs generaliter dicuntur, Antiochenæ Ecclesiæ incantè tribuerunt. Etenim Oriens in dispositione Imperij Romani eas provincias omnes complectitur, ab ipsius Vespasiani temporibus, quæ à Thracia per Ægyptum & Asiam minorem usque ad Euphratem & Tigrim pertinent. Hæ provinciæ quinque Diœcesibus comprehendebantur, Thracia, Pontica, Asiana, Orientali, & Ægyptiaca, quæ magistratibus sibi præfectis parebant; ut superiore capite uberius dixi. Idem ordo servatus fuit in ecclesiastica disciplina; ita ut quemadmodum Ægypti Diœcesis in novem Metropolitanos divisâ, Alexandria Patriarcham colebat; sic Diœcesis Orientalis specialiter dicti, quæ quindecim provincias complexa erat, ab Antiocheno Patriarcha regeretur. Itaque longè distant Orientis Ecclesiæ, cum Occidentalibus opponuntur, utpote quæ quinque Diœceses integras Orientales Imperij comprehendant, ab Orientis Ecclesijs, quando cum aliarum Diœceseon Episcopis, id est, Ægypti, Thraciæ, Ponticæ, & Asiænæ componuntur, ut fit canone 11. Constantinopolitani Concilij: *Orientis Episcopi Orientem tantum gubernent, servatis privilegijs quæ Nicænis canonibus Ecclesiæ Antiochene tributa sunt.* Inde est quod Ioannes Antiochenus, qui schismate Concilium Ephesinum vexavit, in Actis Conciliabuli dicitur *Episcopus Antiochie, quæ est Metropolis Anatolicæ Diœceseos.* Et ipsum Conciliabulum hæc se inscriptioe jactat: *Sacra Synodus Diœceseos Orientalis, ceterique unâ cum ipsis ex diversis Diœcesibus & provincijs congregati.*

In Conc. Eph. c. 11. Act. 1. In Actis Conc. Antiochie dicitur: *Episcopus Antiochie, quæ est Metropolis Anatolicæ Diœceseos.* Et ipsum Conciliabulum hæc se inscriptioe jactat: *Sacra Synodus Diœceseos Orientalis, ceterique unâ cum ipsis ex diversis Diœcesibus & provincijs congregati.*

OBSERVATIO

STEPHANI BALUZII.

Sic Luitprandus in libro 11. cap. x11. loquens de Romano Imperatore Constantinopolitano post Leonem cognomine Sapientem, Anatolicas vocat gentes Orientales, Græco etiam verbo utens: *Primo quo Romanus suscepit imperium anno, nonnullæ ei gentes, præsertim ἀνατολικαί, hoc est, Orientales, vise sunt rebellare.*

III. Id solum superest indagandum, quibus finibus Ecclesiæ Orientalis & Occidentis regerentur. Sed statim occurrit canon 11. Concilij Constantinopolitani, toties laudatus, qui de hac re sollicitis curam omnem eximere potest. Convenerant Constantinopolim ex omnibus Orientalis Imperij provincijs, literis Theodosij Imperatoris evocati antistites, qui canone secun-

do Ecclesiarum Orientalium terminos præscripserunt; adeo ut eas intra Diœceses Thraciam, Ponticam, Asiensem, Orientem, & Ægyptum coërcuerint, ac proinde ceteras omnes Diœceses Occidentem dimiserint, nempe Illyricum solidum, Italiam, Gallias, Britannias, Hispanias, & Africam, Scilicet, ut antè monui, iidem erant Imperij Orientalis limites & Ecclesiarum Orientalium. Thracia in confinio Illyrici constituta, Orienti accensebatur, ut Illyrici integra præfectura, quæ Macedoniam, Daciam, Achaïam, & ceteras quasdam provincias complectebatur, ad Occidentem pertinebat, æquè ac Africanæ litoris sex provinciæ; ut docuit Zozius. Thraciam Orienti Vespasianus Imperator addixerat, teste Eustathio. quod apud omnes deinde Principes obtinuit, qui Thraciam, licet freto Propontidis & Hellesponti ab Asia discretam, Orienti accesserunt. Imò & sub Theodosio Illyriciana Diœcesis in duas partes secta est; adeo ut Imperio Orientis accesserit Illyrici pars illa quæ Macedoniam & alias quasdam provincias continebat, ut patet è Iornande, & è Notitia utriusque Imperij, quæ fines Orientalis Illyrici & Occidentalis describit.

IV. Quæ immutatio nihil de Ecclesiarum statu detrivit. Itaque Illyrici & Thraciæ limites, ut olim Imperij utriusque, sic etiam Ecclesiarum fuere. Hanc divisionem Imperij primus tentavit Diocletianus, cum sibi & Galerio Maximino retinuit Orientem, regiâ constitutâ in urbe Nicomedienfi, Occidentemque Constantio patri Constantini & Maximiano distribuit, datis huic, Illyrico, Italia, & Africa, illi Britannias, Hispanias, & Gallias, apud Socratem. Constantinus autem cum solidam, à morte Licinij, Romani Imperij suscepisset administrationem, & ei trium filiorum caritas esset antiquior quam Reipublicæ cura, illis orbem testamento partitus est; ita tamen ut primus Occidentis partes, Constantius verò Orientis obtineret. Valentinianus senior secutus exemplum tam fœdæ divisionis, Valentem fratrem effusâ liberalitate consortem Imperij designavit, eique Asia & Ægypti tradidit dominatum, Europâ suæ ditioni reservatâ, ut inquit Theodoretus. Quod accuratius descripsit Sozomenus, qui antiquos utriusque Imperij limites immutatos non fuisse satis ostendit. Valenti, inquit, *tribuit provincias quæ ad Orientem sitæ sunt. Eas verò quæ ab Illyrico usque ad Oceanum Occidentalem, & eam quæ est ex adverso continentem, usque ad extre-*

Zozimus lib. 3. Histor. Eust. in Dionys.

Socr. l. 1. c. 6.

Socr. l. 1. c. 51. quod non tam rectè præsertim.

Theod. 1. 4. c. 6.

Sozom. 1. 4. c. 6.

ma